



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**De Vita & Rebus gestis P. Petri Canisii, De Societate Jesv,  
Commentarii**

**Sacchini, Francesco**

**Ingolstadii, 1616**

Studium profectus.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41515**

cipe Herbipolitana vir nunquam satur laborum fecit. Dum autem cum Episcopo de instituendo Collegio conuenitur, is ceteras inter condiciones eam apposuit, probauitque Natalis, vt ad proximi ieiunij quadragenarias cōciones Ecclesiæ suæ ipse præberetur Canisius. Quam ob rem in Rhenanam Prouinciam transgresso Natali, in suam ille retulit se se rebus componendis intentus, quo expeditior ad Herbipolitana suggestum rediret. Præcipua curarum fuit novos sibi met ad omnem virtutis profectum stimulos admouere: absurdum putanti dum tanto alienas animas studio excolit, negligere suam, nec ignaro quod priuatim ipse proficeret in publicos vsus verti. Igitur cum inuitaret senescens annus, vt respiceret de cursa spatia, & vires instauraret ad cursum in maiore impetu repetendum, super piacula alia etiam à Præposito Borgia quicquid per negligentiam, quicquid aliter toto anno deliquisset, humillimis precibus, vt sibi condonaret, orauit, paratum exhibens ad poenam libenter soluendam quamcunque inobedienti filio Pater iniungeret. Simul bonam ab eo precessionem ad inno- uandum spiritum cupidissime postulauit, vt &

socii

Studium praefectum.



fociis curæ suæ creditis, & obedientiæ sanctæ in  
comunere, quod valdè indignus gereret, rectius  
faceret satis. Faciebat id assiduè vigil exercitator  
præter quotidianam, & nunquam intermissam  
attentionem, vt identidem per annum, præcipu-  
eque in anni veteris exitu, ac recētis allapsu, cum  
purgaret commissa superioris temporis, tum vi-  
res, animumque in futurum redintegraret.

Constitutis Prouinciæ rebus, nouoque col- 1567.  
lecto robore, tum multis præmunitus & suis, & Consona: or  
Herbipoli.  
alienis precibus, Herbipolim vbi maturum fuit,  
reuertit. Respondit apparatus euentus. Quanquã  
ille suo instituto, vbique plusquam deberet, exol-  
uens, & laborem laboribus onerans, non solum  
Ecclesiasten Episcopalem egit, sed etiam extraor-  
dinaria catechesi præcipuè iuuentutem sibi insti-  
tuendam sumpsit. Tum Sacerdotes, quorum è Et multa gratia  
præciosa.  
numero pauci vel formulam absoluendarum  
culparum nosse ferebantur, ritè edocendos cura-  
uit. Hæreticos aliquot reconciliauit Ecclesiæ: Iu-  
dæam quoque Virginem sacro baptismo con-  
signauit: persuasit Episcopo, vt de sua Diœcesi  
rectius constituenda seriò cogitationem suscipe-  
ret: quod statim doctis, ac sapientibus viris con-